



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 89. Henricus III. per suos Deputatos Romæ a Papa suis censuris folvi
efflagitans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

§. LXXXIX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1589.

*Henricus III. per suos Deputatos Ro-
mæ a Papa suis censuris solvi
efflagitans*

Henricus III. cum hisce tumultibus undique premeretur, ac seditiones fedari speraret, si a summo Pontifice, qui ob sacrilegam Cardinalis Guisii necem ab ipso patratam merito exacerbatus erat, sui sceleris veniam peteret, hinc Hieronymum Gondium una cum Pifanio Marchione ad Sixtum V. ablegabat, qui Regem suum a perpetrati parricidii pœna absolvi efflagitarent: ergo ambo Deputati ad Pontificis alloquium admissi, atque ad ejus pedes provoluti declarabant, quod hinc discessuri non essent, nisi prius petitam gratiam obtinuissent: verum Sixtus V. eorum votis annuere differens Gondio, & Pifanio acriter obtrudebat, quod eorum Rex non modo immunitatem Ecclesiasticam, sacrique Collegii privilegia violasset, sed etiam in ipsas leges divinas, humanasque peccasset, dum crudeli ficariorum manu Cardinalem trucidaverat, ac duos spectatissimos Ecclesiæ Prælatos, perinde ac si profani infimæ fœcis homines essent, in vinculis detinere non erubuit. Ad hæc ambo Franciæ Ministri eidem cum summa

Hist. Eccles. Tom. L. Uu animi

*Thuan. &
Daviil. l. c.
Let. vie de
Sixt. V.
l. 10.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1589.

animi demissione, immota tamen firmitate, Regis sui rationes exponebant, plurimum exaggerantes læsæ Majestatis crimen, cujus tres hocce Præsules reos extitisse dicebant, & postea hæc addebant: „Postquam hi Regis auctoritatem usurpaverant, eumque Lupara discedere, atque pro vitæ suæ securitate omnino aufugere compulerant, Rex haud amplius sibi integrum habebat, ut illos juxta legum præscripta castigaret: de cetero autem omnia Regni sui mala nonnisi ex clandestinis consiliis, & Guisii Ducis, ejusque Fratris Cardinalis machinationibus ortum traxerunt; quoniam igitur illorum crimen publicum, ac confessione firmatum est, Rex quoque illos pro suo arbitrio punire potuit: insuper hi ob suum sacrilegium sacræ Sedis patrocinio sese indignos reddiderunt, præcipue cum defensione religionis, pro qua ipsemet Henricus illis longe majus ostendebat studium, nonnisi vanus erat ambitionis suæ obtentus: nihilominus Rege nostro ad omnia, quæcunque Sanctitas sua ab eo exigere voluerit, parato, perdemisse rogamus, ut eadem exoptatam eidem veniam concedere dignetur.”